



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 15. Sancti Ludovici Bertrandi Dominicani Hispani pia mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

tus re comperta quantocius in Belgium Sæcul XVI.  
A.C. 1581.  
fecellit, ubi nonnisi imbuendæ juven-  
tuti, proximoque suo obsequium præ-  
standi curæ summo studio intentus ra-  
ro aliis exemplo prælucebat. Scripsit  
plura pietatis opuscula Belgico idio-  
mate elucubrata, ac sæpius prælo sub-  
jecta: inter cetera vero præcipue com-  
mendantur. I. Tractatus de instructio-  
ne, seu interiori lingua Dei. II. De  
Montibus Pietatis. III. De oratione  
Dominica IV. tres tractatus de vita ac-  
tiva, bonis temporalibus, & miseri-  
cordiæ operibus. V. De origine, &  
progressu vitæ monasticæ. VI. Tra-  
ctatus de obedientia, paupertate Evan-  
gelica, Confessione, & Communione  
frequenti, vel duntaxat annua, ubi Au-  
thor discutit, an merita quis sibi com-  
paret, si abstineat a Communione: in-  
super scripsit tractatum de inspiratione  
Divina a Brunefio latine redditum, &  
Coloniæ anno salutis nostræ millesimi-  
mo sexcentesimo primo typis impressum.

## §. XV.

*Sancti Ludovici Bertrandi Dominica-  
ni Hispani pia mors.*

Die nona Octobris hoc item anno Lu- *Baillet vie  
des Saints  
au 9. d'Octo-  
br.*  
dovicus Bertrandus ex Ordine S.  
Dominici animam Deo reddidit. Is  
Valentiæ in Hispania prima Januarii die  
anno



Sæcul. XVI.  
A.C. 1581.

*Hilar de  
Coffe hist.  
Cath. des  
homm. &  
Dames  
Illustr.*

anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo sexto ex Joanne Ludovico Bertrando præfatæ urbis Tabulario, & Joanna Angelica Xarque natus erat, & decimo octavo ætatis suæ anno, Christi vero millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Ordinem sancti Dominici ingrediebatur, ubi primum Sacrificium incruentum die vigesima tertia Octobris anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo septimo obtulit. Postea cum summa populi utilitate, ac profectu in pluribus Valentiani regni urbibus Verbum Dei prædicavit, & novi orbis terras peragrare constituit, infidelibus Jesu Christi Evangelium annuntiaturus: obtenta igitur sui Præpositi Generalis venia, quamvis dissuaderent ferme omnes, Hispali navem conscendit, persuasus, quod Deo ipsum ad tam laboriosam expeditionem vocanti aures præbere teneatur: quapropter ibidem etiam propemodum infinitam animarum messem collegerat, adeo, ut de eo referatur, quod in unica die plusquam mille quingentos Paganos in nova Granata sacro fonte abluerit: cum autem crudelitatem, avaritiam, ac propudiosam vitæ licentiam, qua Ministrorum Hispanorum potissimi ulterioribus zeli sui progressibus obsistentes notati erant,

refrin-



refringere haud posset, Valentiam re-  
 versus est, ubi sui Conventus ad san-  
 ctum Onuphrium prope urbem, ac post-  
 ea in Valentiano Monasterio ejusdem  
 Ordinis Prior electus fuit, atque ibi-  
 dem sanctæ suæ vitæ finem imposuit:  
 anno autem post Christum natum mil-  
 lesimo sexcentesimo nono a Paulo V.  
 Beatorum Catalogo insertus, ac publi-  
 co de ejus festivitate Officio honoratus,  
 demum anno Salvatoris nostri mille-  
 simo sexcentesimo septuagesimo primo  
 a Clemente X. Sanctorum fastis adscri-  
 ptus est.

## §. XVI.

*Cleri Gallicani comitia in Galliis ce-  
 lebrata.*

Anno sequenti millesimo quingentesi-  
 mo octogesimo secundo Cleri Galli-  
 cani Conventus celebrabatur in claustro  
 Ecclesiæ ad Beatam Virginem Parisiis,  
 ubi suas ædes habebat Reginaldus Bel-  
 nensis Bituricensis Archiepiscopus,  
 quem Arnoldus Pontacus Vasatensis  
 Episcopus, necnon Claudius Angeneus  
 Noviodunensis Comes, atque Antistes,  
 & Barga Lugdunensis Archiepiscopi, &  
 Vasconum Primatis Vicarius comita-  
 bantur, præter secundi Ordinis Depu-  
 tatos ex variis Provinciis: itaque hisce  
 comitiis die vigesima octava Maji ini-  
 tium

*Thu. l. 75.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 23.*

*Hist. Eccles. Tom. L.*

C

tium